ANTIQVISSIMA
TROPAEA
POPVLI. ROMANI

AMPLISSIMI. PHILOSOPHORVM. ORDINIS

AVCTORITATE

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITT. EMANUELE

PVBLICE SISTVNT

ADRIANVS. DEODATVS
STEGER

ARTIVM. MAGISTER. ET. IVRIVM. CANDIDATVS

ET

IOANNES. SIGISMVNDVS. BOESNER

RATISPONENSIS

LIPSIAE. A. D. VI. KAL. MAI. CIƆ IƆCCXXXVIII

EX. OFFICINA. LANGENHEMIANA

Digitized by Google

Digitized by Google

§. I.

IVRIS NATVRALIS PRAECEPTIO, VICTORIA MODERATE VTENDVM ESSE.

Socialitatis uinculo inter ſe in uicem conſtringi, et mutuo iurium atque officiorum nexu aeque contineri liberas gentes, ac ſinguli hominum ſingulis obligantur, ipſa natura non edocemur minus, quam magiſtra rerum experientia confirmat. Nec enim libertas illa natiua, quam ſibi diſtinctae diuerſis ciuitatibus gentes retinuerunt, praeſidia effraenis licentiae ſubminiſtrat, nec ei patrocinatur ferociae, quae humanitatis praeceptionibus temperari plane detrectet, nec conditionem largitur, legibus aeternae Themidos ſolutam. Quae adeo uniuerſali ratione uera eſſe ſtatuimus, ut ne a bello quidem arceamus, ſtatu quantumuis iſto, a ſocialitatis cuſtodia longe alieno, quem inter proprias libertatis naturalis notas perinde, ac neceſſaria eiusdem mala, primo loco reponendum eſſe, nemo dubitat, et laxioris petulantiae, quae non inuita ratiocinatione

Iura neget ſibi nata, nihil non adroget armis 1),

certiſſimum auctorem forſitan nonnulli arbitrantur. At enim uero niſi atroci cum iniuria belluinae ſaeuitiae exercitiis exaequari mauis gentium bella, non poſſunt, quin praeſcri-

Digitized by Google

ſcriptam ſibi iuris auctoritatem agnoſcant, cum habeant, ad quos dirigantur fines, quem ad modum ſolide ratiocinatur, qui belli et pacis iura iuſto diſciplinae ambitu primus definiuit, HVGO GROTIVS 2). Omnis belli iuſtitia ſecurae et ſtabilis pacis obtinendae fine abſoluitur, quam ita excolendam commendat natura, ut non niſi eius ſtabiliendae cauſſa, et extra ordinem in extremae neceſſitatis ſubſidium bellandi conſilia permittat, ueluti tantum non omnes, qui ſuperiori et noſtra aetate de doctrina iuris naturae et gentium concinnanda ſunt promeriti, adſenſu ſuo et connexis rationibus confirmant, e quibus, inſtar omnium, adlegaſſe ſufficiat alterum inſtauratae diuinae iuris prudentiae duumuirum, SAMVELEM PVFFENDORFIVM 3). Ex eo igitur, quod bella pacis reducendae firmandaeque cauſſa fieri debeant, deuoluitur in ciuitates bellantes obligatio, ſedulo cauendi, ne in eam iniuriarum licentiam ruant praecipites, quarum atrocia

ſtirpem et genus omne futurum
Exercere odiis 4)

numquam intermorituris uelle uideantur, et caeco impetu omnia pacandarum rerum adminicula petulanter euertere. Inculcat potius lex aeterna gentibus nulla non officia, diligenti cum cura inter armorum quoque ſtrepitus obſeruanda, quibus mutuam ſibi aequitatis exiſtimationem, et probabilem cauſſae ſuae fauorem concilient, et ſtudiis ita utrimque collatis, ad pacem ineundam et ſanctius colendam pelliciantur. Nihil iam immorabimur officiis eius modi plenius enarrandis, quod ſolent, congruo magis inſtituto, naturalis iuris prudentiae doctores. At liceat ex illis unicum, idque haud dubie praecipuis accenſendum, tam quam non alienum ab argumento, de quo exponere inſtituimus, praeparationem, nominatim memorare, animi nimirum moderationem, quam uſui et rigori uictoriae, ſi quam uirtus aut fortuna ſuperior indulſerit, adplicandam eſſe, natura ſocialis dictitat. Ita enim ex illius legibus ſtatuito uictor populus, non abutendum eſſe fortuna, quae maxime in bello reue-

Digitized by Google

reuerenter eſt habenda, ut neſciam, an alicubi magis, nec blanditias illius in deuictae gentis ludibrium uertendas, ſed incumbendum potius in illud unice, ut quanto quisque armorum ſucceſſus fuerit potentior, tanto propius idem ad bellorum finem, iuris ſui conſequutionem, perducat, ita uidelicet certiſſimam demum aequitatis inter arma ſuperſtitis teſtificationem, nouamque rerum uiciſſitudinem, reddendae paci apprime idoneam, perhibiturus.

1) HORATIVS Art. Poet. u. 122.
2) de Iur. Bell. et Pac. Proleg. §. 25.
3) de Iur. Nat. et Gent. Lib. VIII. Cap. VI. §. 2 ſeqq.
4) VIRGILIVS Aeneid. Lib. IV. u. 622.

§. II.

EADEM MODERATIONIS LEX POPVLO ROMANO REGVLIS PRVDENTIAE COMMENDATA, ET DILIGENTIVS OLIM CVSTODITA.

Quam ita generali obligatione lex naturae cogens liberarum gentium unicuique inculcat moderationem animi, bellis et uictoriis adhibendam, eandem haud infrequenter ciuitati cuipiam enixius commendat prudentia, tam quam propriis finibus mirifice obſecundantem. Accidiſſe idem, quod mireris, ferociſſimo populo, Romano inquam, et inter ipſa rerum ſuarum initia, quantacunque fuerit ruditas, caute ad modum fuiſſe obſeruatum, animaduertimus. Eo conſpiraſſe proprios illius ciuitatis fines, quo ſolent plerumque bellicoſi cuiusuis populi conſilia, ut imperii ſui pomoeria latius proferantur, et fatis ſibi deſtinatum, immo diuinis, uti uulgo credebatur, oraculis olim promiſſum, terrarum dominae nomen, uirtute ſua ſibi pariat, et iure merito tueri uideatur, non obſcure ſignificant, quotquot rerum, a Romanis geſtarum, ſuperſunt monimenta. Ad illud autem maieſtatis atque gloriae faſtigium non prudentia minor, quam fortitudo, uictorem illum populum perduxit, et quantum animi moderatione in uictos proficiatur, optime iam perſpexit Romulus, urbis et gentis conditor, cuius inter praecipuas laudes retulerunt poſteri, quod pleroſque populos eodem die hoſtes, deinde prudentiſſimo inſtituto ciues habuerit, id

Digitized by Google

quod tam quam egregiae ſapientiae, et Romano populo maxime ſalutaris, ſpecimen a Claudio Imperatore commendatum memorat TACITVS 1). Bono poſtea omine per tempus ſatis longum Romani eadem augendae ciuitatis conſilia, quae imitarentur, ſibi propoſuerunt, quibus omnia rei Romanae incrementa et magnitudinem T. LIVIVS 2) adſcribit, et L. ANNAEVS SENECA 3). Referenda eſt procul dubio inter proprias gentis Romanae artes et ſingularia paene fata iſta conſtituendi et amplificandi, hoſtibus in ciuitatem receptis, imperii ratio, a prima urbis origine ſubinde, usque ad ultimum fere rerum Romanarum excidium diligentius, eoque cum ſucceſſu obſeruata, ut iam ſuperiori aerae conueniant, quae ſequioris aeui poeta 4) de Roma cecinit:

Haec eſt, in gremium uictos quae ſola recepit,
Matris non dominae ritu, ciuesque uocauit,
Quos domuit, nexuque pio longinqua reuinxit.
Huius pacificis debemus moribus omnes,
Quod ueluti patriis regionibus utitur hoſpes,
Quod cuncti gens una ſumus.

At quotusquisque non intelligit, quanta prudentia, quanta in ipſis bellis gerendis dexteritate, quanta denique animi moderatione opus fuerit, qua pellicerentur uictae gentes, ut cum iis in unam ciuitatem coirent, quos paullo ante bonis ſuis, libertati, et uitae inſidiantes experti fuerant. Vix futurum eſſe arbitramur, qui non conatus iſtos tanto magis arduos deprehendat, quam ius Romanae ciuitatis cum toto terrarum orbe ab Antonino Caracalla Imperatoria conſtitutione communicatum, cuius memoriam commendat DOMITIVS VLPIANVS 5), quanto ſcilicet maioris prudentiae opus eſt, conſtituere armis ordinatam rei publicae formam, quam pacatam ciuitatem ualida legum auctoritate componere. Nec potuiſſe animaduertet unusquisque, quin Romani, gentis ſuae auctores, eam perpetuis bellis ſuis cautionem plerumque adhibuerint, quam aeterna naturae lege inculcare prius euicimus, ne uictoriae ludibriis irritarent gentes, quibuscum proximo foedere coaleſcerent, ita nempe ad fines, ſuo ipſorum

arbi-

Digitized by Google

arbitrio ſibi praefixos, propius acceſſuri. Ego ſane luculenta ſatis in antiquiſſimis iſtis Romani populi conſiliis explorauiſſe mihi uideor ueſtigia, unde pleniſſimas regnandi artes colligas, et prudentiam rei publicae ſuae utilitatibus adeo adcommodatam, ut exactam magis hac in re uix oſtentet florentiſſimus imperii Romani ſtatus, quam ueteri ſimplicitati et morum innocentiae iure anteponas. Hac enim temperari fas erat aſperam illam animi ferociam et ruditatem, quae primis Romae ciuibus tantum non erat propria, non niſi tardiori aliquot ſaeculorum cultu paullatim mitigata.

1) Hiſt. Lib. IV. Cap. LXXIV.
2) Hiſt. Lib. VIII. Cap. XIII.
3) de Ira Lib. II. Cap. XXXIV.
4) CLAVDIANVS de laud. Stilic. Lib. II. u. 150. ſeqq.
5) L. XVII. D. de ſtat. hom.

§. III.

TROPAEA MODERATIONI ADVERSARI DVDVM IVDICATA, ET SERIOR EORVM APVD ROMANOS VSVS. INDE INSTITVTI OCCASIO ATQVE RATIO.

Non uacat congeſtis iam factorum exemplis plenius illuſtrare meditationes adhuc exhibitas, quae nobis ſubnatae ſunt, quando expendere non nihil placuit, conſueta iſta priſcis populis uictoriarum monimenta, tropaea, quae ſuccincta commentatione luci ſuae, quantum fieri poteſt, exponere in animum induximus. Obſeruaſſe reperies, ſi paullo curatius in ea, quae hac de re ſtatim adferemus, inquiſiueris, ipſos ueteres ſcriptores, qui res a populis, tropaeorum amantiſſimis geſtas, memoriae tradiderunt, eius modi monimenta impotentis animi, cui uictor felici rerum ſucceſſu elatus imperare non poſſit, perhibere indicium, et in gentem uictam cladis ludibrium contumelioſa quadam perpetuitate tranſcribere, ipſasque ignominiae notas odiis excitandis fouendisque potius, quam legitimis bellorum finibus conuenire. Nec alieni fuerunt ab eadem opinione ipſi tropaeorum inuentores primi, aut ii certe, qui ea inter primos uſurpauerunt. Quid enim prohibet, rerum argumentis curatius penſitatis, quin eosdem iniuriae, in deuictas gentes inde redundantis

dantis, conſcientia permotos, cauiſſe ſuſpicemur, ne illius modi opus, quale uictoribus ſtatuendum caeca Deorum religio aliis, aliis animi, rebus ſecundis luxuriantis, impetus ſuaſit, diuturnitate ſua grauiora reddat offendicula. Imitandos eo nomine proponit uniuerſae Graeciae conditores NICOLAVS quidam, quando in ciuium Syracuſanorum concione uerba facit, qui uictoriam, ab Athenienſibus reportatam, binis tropaeis notauerant, uiolenta magis captiuis hoſtibus exitia minitati. Meminimus eam NICOLAI orationem eo lubentius, quo iſta uberiores de legitimis bellorum finibus, et impetu animi compeſcendo, praeceptiones complectitur, rationibus noſtris ſupra adlegatis ualde conſentaneas, et auctore DIODORO SICVLO 1), qui ſeruauit integram, ea iam inde praeſertim referimus, quae prudentiſſimis ibidem ueterum Imperatorum facinoribus adnumerantur, quod tropaea non e ſaxis, ſed uulgaribus lignis ſtatuenda curauerint, eum uidelicet in finem, ut inimicitiarum memoria citius exſoleſceret. Temperata hunc in modum inſtituti acerbitas breuioris durationis delinimentis adeo conuenit priſcae morum ſanctimoniae, ut, qui migrare morem iſtum iuſſerunt, parum laudis, PLVTARCHO teſte 2), apud Graecos meruerint. Proxime ad iſtius Graiae prouidentiae ſimilitudinem, ne tropaea ſint perpetua, ueterum Romanorum acceſſit iudicium, cuius obſeruantia, ut ex omnibus, quae Diis erant conſecrata, ſola ſpolia tempore corrumpi et aboleri ſinerentur, nullo umquam labore reparanda, permiſſum fuiſſe, idem PLVTARCHVS 3) commemorat, ipſe dubius, utrum ideo, quod facinoris gloriam cum ipſis ſpoliis intercidere, noua igitur uirtute inſtaurandam, exiſtimauerint, an potius, quod nimium diſcordiarum ſtudium ſaperet, reficere bellicarum cum hoſtibus contentionum ſigna, ipſius temporis motu euerſa? Indicio foret omnium luculentiſſimo, quam exiguum Romani pretium tropaeis ſtatuerint, ſi extra omnem controuerſiam poſita eſſent, quae L. ANNAEVS FLORVS 4) memorat, primos omnium Romanorum, Domitium Ahenobarbum, et Fabium Maximum, Allobrogico bello ſaxeas erexiſſe turres, et deſuper

exor-

Digitized by Google

exornata hoſtilibus armis tropaea fixiſſe. Et diſertis uerbis iſtuc FLORVS adnotat, morem hunc ſuis fuiſſe inuſitatum, nec umquam enim populum Romanum hoſtibus domitis uictoriam ſuam exprobrauiſſe. Confectum eſt bellum illud A. V. C. IↃCXXXIII, quo utrumque iſtum Proconſulem triumphos egiſſe, faſti Romanorum triumphales meminerunt, a STEPHANO VINANDO PIGHIO exhibiti 5). Sero ad modum itaque uictorias ſuas tropaeis celebrare coepit, et quam parum illa finibus ſuis conuenire cenſuerit, ipſa tardiori illorum uſurpatione declarauit populus Romanus, ſi FLORI quidem ſtandum eſt ſuffragio. At eidem ipſemet fidem detrahere uidetur, quod antiquiorem tropaeorum uſum alio loco memorat 6). Exſtant et alia rerum Romanarum monimenta, quae tropaea ſiſtunt longe uetuſtiora. Ecquis inde non perſpicit, altioris eſſe indaginis, cui temporis aerae primus eorum inter Romanos uſus adſignari debeat. Quod ſi uero non iucunditate ſolum commendatur, ſed et uaria lucis uſura, in ampliſſimum inde antiquitatum campum diffuſa, commendantur illorum lucubrationes, qui paullo diligentius in ritus bellicos, uictori terrarum orbis populo uſitatos, eorumque recipiendorum occaſionem, primasue origines inquirunt, neque noſtros conatus, quamuis ſpem aequioris ſucceſſus animo praecipere non audeamus, reiiciendos omnino pronunciabunt rerum harum intelligentes, quando in eo nos uerſari deprehendent, ut tropaeorum apud Romanos uſum, in cuius indagandis primitiis, ex ipſis Romanae hiſtoriae ſcriptoribus quempiam alucinantem nonnulli ſuſpicantur, aliquanto propius definiamus, et exploremus inſtitutum, cuius uetuſta ueſtigia non incerta minus ſunt et repertu difficiliora, quam poſteriori aeuo illud maxime frequentatum occurrit. Quo in argumento pertractando, cum iam futuri ſint fortaſſis, qui praepoſtero pleraque ſtudio a nobis adhuc occupata fuiſſe criminentur, commodius infra demum explicanda, cauendum eſt, ne omnes congrui ordinis leges ſubterfugere arguamur, eique conſilio plurimum conducit, quid ſibi uelit tropaeorum inſtitutum, et uniuerſam

Digitized by Google

eorum conditionem ſtrictim prius exponere, quam diſpiciamus, quo tempore primum inter Romanos inualuerint.

1) Biblioth. Hiſt. Lib. XIII. pag. 154. ex edit. LAVRENTII RHODOMANI, Hanou. CIↃ IↃC IIII. *Τίνος χάριν οἱ πρόγονοι πάντων τῶν Ἑλλήνων ἐν ταῖς κατὰ πόλεμον νίκαις κατέδειξαν οὐ διὰ λίθων, διὰ δὲ τῶν τυχόντων ξύλων ἱςάναι τὰ τρόπαια; ἆρ᾽ οὐχ ὅπως ὀλίγον χρόνον διαμένοντα, ταχέως ἀφανίζηται τὰ τῆς ἔχθρας ὑπομνήματα;*

2) In Quaeſt. Rom. pag. 373. C. Tom. II. Oper. ex interpret. GVILIELMI XYLANDRI, Francof. CIↃ IↃC XX. *Οὐδὲ παρ᾽ Ἕλλησιν οἱ πρῶτοι λίθινον καὶ χαλκοῦν ςήσαντες τρόπαιον εὐδοκιμοῦσιν.*

3) cit. loc. *Διὰ τί τῶν τοῖς θεοῖς ἀνατιθεμένων μόνα τὰ σκῦλα νενόμιςαι περιορᾶν ἀφανιζόμενα τῷ χρόνῳ, καὶ μήτε προσκυνεῖν, μήτε ἐπισκευάζειν; πότερον ἵνα τὴν δόξην οἰόμενοι τοῖς πρώτοις συνεκλιπεῖν, ἀεί τι πρόσφατον ὑπόμνημα τῆς ἀρετῆς ζητῶσι κομίζειν; ἢ μᾶλλον ὅτι τοῦ χρόνου τὰ σημεῖα τῆς πρὸς τοὺς πολεμίους διαφορᾶς ἀμαυροῦντος ἀναλαμβάνειν καὶ καινοποιεῖν ἐπίφθονόν ἐςι καὶ φιλαπεχθῆμον;*

4) Hiſt. Rom. Lib. III. Cap. II. §. 6. pag. 491. ex recenſ. CAROLI ANDREAE DVKERI, Lugd. Bat. CIↃ IↃCC XXII.

5) in front. Annal. Rom. Tom. II. pag. XXVIII.

Q. FABIVS. Q. AEMILIANI. F. Q. N. AN. DCXXXIII
MAXIMVS. PRO. COS. DE. ALLOBROGIBVS
ET. REGE. AVERNORVM. BETVLTO. X. KAL.

ibidem pag. XXIX.

CN. DOMITIVS. CN. F. CN. N. AHENOBARB. A. DCXXXIII
PRO. COS. DE. GALLEIS. AVERNEIS. XVI. KAL

6) Lib. II. Cap. IV. §. 4. pag. 276.

§. IV.

TROPAEI DESCRIPTIO.

Tropaeum dici *ἀπὸ τῆς τροπῆς*, id eſt, *a conuerſione hoſtium et fuga*, NONIVS MARCELLVS 1), et ISIDORVS HISPALENSIS 2) edocent. A quorum ſententia ſi qui diſcedere reperiantur, quos recentior aetas tulit, etymologicarum

rum diſquiſitionum artifices, et uocem *ἀπὸ τῦ τρέπεσθαι, in fugam conuerti*, malint repetere, illis nihilo magis refragamur, quam iſta deriuandi ratio aduerſatur ſcriptionis generi, quod ſignando uocabulo adhibuimus, quantumuis alii *trophaeum* ſeruare conſueuerint. At ſiue *ἐκ τῆς τροπῆς*, ſiue *τῦ τρέπεσθαι*, efformatum eſſe tropaeorum nomen arbitreris, fortiora noſtrae ſcriptioni, quae obiter ipſi uindicamus, quam alteri, praeſidia haud difficulter inde addi cognoueris. Tropaea deſcriptione quadam compendiaria exponit, quem modo adlegauimus, NONIVS MARCELLVS 3), ita, inquiens, adpellari ſpolia capta, fixa in ſtipitibus. Luculentius paullo, neque tamen contrario ſtilo, rem perſequitur VETVS ARISTOPHANIS SCHOLIASTES 4). Ipſius tropaei conditi rationem, omnibus paene numeris abſolutam, elegantiſſimo exemplo illuſtratam, et uiuis, ueluti loqui amant, coloribus expreſſam, quod proprium ipſius uenae bonum contigit, ſiſtit VIRGILIVS 5). His igitur in uicem ſibi comparatis, tropaeum definire paullo plenius licebit, ſequentem in modum, quod ſit columna, ob hoſtes fugatos erecta, in uictoriae memoriam, et ſuſpenſis eorum ſpoliis, Deorum alicui conſecrata. En ea, quibus uix carere poſſe monimentum uidetur, tropaei nomine memorandum. Diximus columnam, ob fugatos hoſtes erectam, quod praeter natiuum uocabuli ſignificatum confirmat ISIDORI 6) auctoritas, et luculentum ſatis, ad quod ante prouocauimus, teſtimonium, ab ARISTOPHANIS SCHOLIASTE in rem noſtram ſuppeditatum. Addidimus porro proprias tropaei notas, ſpolia hoſtium ſuſpenſa, et factam Deorum cuipiam operis conſecrationem. Illa, praecipua tropaeorum portio, dignoſcendis ipſorum originibus apprime inſeruiunt, haec religioſum iis cultum peperit. Vtraque pars iſta uberius aliquanto erit explicanda, quando breuiter fuerimus moniturі, nihil temere illorum eſſe praetermiſſum in noſtra tropaeorum definitione, quae iure ſuo ad iſtam recte formandam pertinent. Bono enim conſilio factum eſſe arbitramur, ut carere iſtis definitionem iuſſerimus, quae in

 pleris-

pleriſque fortaſſis tropaeis frequentata reperiuntur, ſingulis tamen adſertione uniuerſali tribui non poſſunt. Nimis iam longum foret, ea omnia ordine ſuo recenſere, ſtrictim deinceps commodiori loco exhibenda. Neque ideo mancam quis definitionem a nobis concinnatam criminabitur, quod materiam eadem non expreſſerimus, unde tropaeorum columnae fuerunt efformatae. Variauit iſtam temporum uiciſſitudo. Primis inuentoribus arboris truncus placuit. Nec poſterior aetas morem iſtum ſtatim oblitterauit, at aliquando ſaxa etiam, aera, immo pretioſioris metalli molem uidit uſurpari. Magis itaque diuiſionibus tropaeorum eliciendis, quam ampliandae incertis partibus definitioni, conueniet elaboratae materiae diuerſitas.

1) de Propriet. Serm. Cap. I. §. 271.
2) Orig. Lib. XVIII. Cap. II.
3) cit. loc.
4) in Plut. Act. II. Sc. IV. u. 39. *Tropaeum eſt, quod in uictoriis ueteres faciebant, murum uel lapidem magnum ponentes, et in illo ſcribentes opera, quae contra hoſtes fecerant. Vocabatur autem tropaeum, quia hoſtium fuga illic facta erat.*
5) Aen. Lib. XI. u. 5. ſeqq.

Ingentem quercum deciſis undique ramis
Conſtituit tumulo, fulgentiaque indidit arma,
Mezenti ducis exuuias, tibi magne tropaeum
Bellipotens, aptat rorantes ſanguine criſtas,
Telaque trunca uiri, et bis ſex thoraca petitum
Perfoſſumque locis, clypeumque ex aere ſiniſtrae
Subligat, atque enſem collo ſuſpendit eburnum.

6) cit. loc. *Ab eo, quod hoſtem quis fugaſſet, merebatur tropaeum.*

§. V.

TROPAEA SPOLIIS HOSTILIBVS CONSTITVTA.

Spoliis potiſſimum hoſtilibus conſtituta eſſe tropaea, et iis tantum non unice debere originem, modo enunciauimus. Spolia dixere ueteres, arma et exuuias, caeſo hoſti detractas. Erat omnibus fere antiqui aeui gentibus maxime uſitatum, hoſti

Digitized by Google

hoſti nobili, ſiue in deditionem accepto, ſiue occiſo, arma et ueſtes exuere, cuius moris exempla nemo non poterit ultro recordari, quisquis uel leuiori opera antiquorum bellorum exitus ſcrutatus fuerit. Nec ab extremo iſto, quod ſua uictoria ſibi partum opinabantur, in corpus deuictum iure abſtinuiſſe facile legimus uictorem quempiam, niſi pietatis cogitatione, aut hoſtilis uirtutis reuerentia emollitum. Tantis ſcilicet argumentis opus habet VIRGILIVS 1), quibus herois ſui compeſcat animos et iras temperet, quo minus in proſtrati Lauſi corpus ſaeuiat, ſed potius arma ſua ſibi haberi permittat. Effinxit haec poeta haud dubie, uti plerumque ſolet, gentis ſuae moribus adcommodata. Fuerunt certe Romani ſpoliorum hoſtilium ualde adpetentes, eo nempe magis, quo amplioribus accenſere decoribus adſueuerat popularis aurae arbitrium, ea retuliſſe, et adfixa poſtibus publice iactitare, cui praeſertim mori adludunt idem VIRGILIVS 2), PROPERTIVS 3), TIBVLLVS 4), et paſſim poetarum alii. Spoliorum cuſtodia, foribus poſitorum, paene perpetua erat, et mutatis dominis ipſae quaſi aedes triumphabant, cum emtori, ut ea refigeret, non permiſſum fuiſſe, PLINIVS 5) edoceat. Eiusdem modi ornamenta militaria, praeter uarios uſus alios, tropaeis quoque adhibuerunt. Quo iſta ordine fuerint diſpoſita, diſtincte ſatis intelligitur ex deſcriptione Virgiliana tropaei, ab Aenea ob caeſum Mezentium erecti, quam paullo ante adtulimus. Ad quam ſi quis frequentiſſima tropaeorum exempla contulerit, in priſcis Romanarum familiarum numis expreſſa, aliisque antiquitatum reliquiis ad noſtrum ſaeculum tranſmiſſa, euidenter patebit, id uoluiſſe tropaeorum conditores, ut ea uiri armati ſimilitudinem, et deuicti hoſtis perſonam referant, quo ſenſu accipienda uidentur Euandri ad funus filii Pallantis uerba, MARONIS ingenio reddita 6). Hanc ob cauſſam erigere placuit arboris truncum, aut confectam ex alia materia columnam, eiusque uertici imponere galeam, mediae parti, tam quam corpori, loricam induere, ad laeuam clypeum, aut duo, iunctos ad utrumque latus, figere. Haec armorum genera in omnibus

 paene

paene tropaeorum typis conſpicimus, in quibusdam haſta, aut ſagittarum faſciculus, aut enſis additus exhibetur. Acceſſerunt ex temporis tractu uaria, quibus tropaea effecta ſunt ornatiora. Et armorum et aliorum decorum adparatu omnium pleniſſimo inſtructa ſunt tropaea, quae columna Traiani ſeruat, et aeri mandata exhiberi fecit, et ſuccincta commentatione illuſtrat BERNARDVS MONTEFALCONIVS 7). Comparari cum illis poſſunt, ſi ornatus copiam ſpectes, duo alia in Capitolium, ubi recentior aetas ea cuſtodiuit, ex aquae Martiae caſtro translocata, quae delineata et deſcripta pariter MONTEFALCONIO 8) debemus. Eadem eſſe haec tropaea, quae C. Mario, Iugurthae, Cimbrorum, et Teutonum uictori, olim poſita, Sullam diſiecisse, at reſtituiſſe deinceps Caeſarem, SVETONIVS 9) memorat, cum BARTHOLOMAEO MARLIANO 10), GEORGIO FABRICIO 11), FAMIANO NARDINO 12), OLAO BORRICHIO 13), aliisque uulgo arbitrantur, rectene ſatis an minus, noſtrum non eſt definire. Dubitauit iam ea de re, Traiano potius iſta tropaea uindicaturus, ALEXANDER DONATVS 14), et IOANNES PETRVS BELLORIVS 15), contra quam tamen opinionem grauiter diſputat, rem ceterum omnem in medio relinquit RAPHAEL FABRETTVS 16). At altioris indaginis nemini non uidebuntur lites, inter tantos antiquitatum ſcrutatores agitatae, quam quae noſtro dirimantur arbitrio, aut dictatoria quaſi iuuenilis audaciae uoce pronunciata, componantur. Nobis ſufficit commendaſſe illa tropaea, licet auctore illorum ignorato, tam quam omnibus elegantiarum numeris abſoluta.

1) Aen. Lib. X. u. 821. ſeqq.
2) ibid. Lib. II. u. 504.
3) Lib. III. El. VII. u. 25.
4) Lib. I. El. I. u. 55.
5) Hiſt. Nat. Lib. XXXV. Cap. II.
6) Aen. Lib. XI. u. 172. ſeqq.

Magna tropaea ferunt, quos dat tua dextera leto.
Tu quoque nunc ſtares immanis truncus in armis,
Eſſet par aetas, et idem ſi robur ab annis,
Turne.

7) dans

Digitized by Google

7) dans l' Antiquité expliquée, Tom. IV. Part. II. Lib. VI. Cap. I. §. II. pag. 147. Conf. Tab. LXXXXIII.
8) cit. loc. Cap. II. §. I. pag. 149. Tab. LXXXXIV. et LXXXXV.
9) in uit. Caeſar. Cap. II.
10) Topograph. Vrb. Rom. Lib. IV. Cap. XII. quam inſerendam curauit Tom. III. Theſ. Antiq. Rom. IOANNES GEORGIVS GRAEVIVS.
11) Deſcript. Vrb. Rom. Cap. XIV. pag. 449. ibid.
12) Rom. Vet. Lib. IV. Cap. II. pag. 1068. ſeqq. Tom. IV. eiusd. Theſaur.
13) Antiq. Vrb. Rom. Fac. Cap. VII. pag. 1545. ibid.
14) de Vrb. Rom. Lib. III. Cap. X. pag. 707. Tom. III. ibid.
15) in Fragm. Veſtig. Vet. Rom. ad Tab. IX. pag. 13. adiect. Tom. IV. laudat. Theſaur.
16) Syntagm. de Col. Trai. Cap. IV. pag. 102. ſeqq.

§. VI.

TROPAEA DIIS CONSECRATA.

Deorum cuipiam conſecrata eſſe tropaea, poſitione uniuerſali transſcripſimus in ipſam eorum definitionem. Praeſidia huic adſertioni ſuppetunt ex priſca ſpoliorum religione. Saepius ſub ipſius pugnae initia uouere hoſtilis ducis ſpolia conſueuerant Imperatores, cuius rei antiquiſſimum exemplum, PLVTARCHO teſte 1), ipſe Romulus, cum Acrone Caeninenſium Rege conflicturus, ſolemni dedicationis formula, quam LIVIVS 2) ſeruauit, perhibet, primus deinceps hoſte occiſo ſpolia opima Ioui ſacrificatus, quorum ritus exponit S. POMPEIVS FESTVS 3). Morem Romanis frequentiſſimum, templis ſpolia figendi, VIRGILIVS 4) tangit, et SILIVS ITALICVS 5). Memorant praeter ea omnes ubiuis rerum Romanarum ſcriptores tot ſpolia Deorum templis illata, quot recenſendis inſtituti noſtri ratio nequaquam ſufficeret, et ultro ſuperſedemus, ne auctorum indices expilaſſe uideamur. Quam igitur ſpoliis additam fuiſſe religionem, tam luculentis argumentis edocemur, nulli dubitauimus, quin tropaeis quoque, ſpoliorum congeriei, uindicemus, maxime cum propriis haec confirmentur rationibus. Inſigni documento iterum eſto Romuli conditoris auctoritas, quem, ut

ut occiſo Acrone, uotum ſolueret, arma eius, in modum tropaei per reciſae quercus ſtipitem diſpoſita, humeris ſuis in Capitolium pertuliſſe, Iouique Feretrio dedicaſſe, PLVTARCHVS 6) tradit, cui conſentiunt, eandem in rem perſcripta, LIVII 7) et DIONYSII HALICARNASSEI 8) teſtimonia. Oſtendit tropaeorum religionem interpretatio, ab eodem DIONYSIO ſubiuncta, neminem, inquiente, a uero aberraturum, ſiue Iouem Feretrium Graeco nomine σκυλόφερον, ſiue ὑπερφερέτην, ſiue τροπαιοῦχον dixerit. Tribuerint ſane Romani ſingularem Ioui tropaeorum curam neceſſe eſt, cui Poſthumium Albinum, in Caudinis furcis a Samnitibus profligatum, grauique accepto uulnere proxime moriturum, ſtatuiſſe tropaeum, ſuoque ſanguine inſcripſiſſe TROPAEORVM VINDICIS elogium, ARISTIDIS MILESII fide, PLVTARCHVS 9) memorat. Marti tropaeum conſecrauit, quod iam ſaepius meminimus, debellato Mezentio, Aeneae pietas. Aliud, eidem Deo a Scipione poſitum, SILIVS 10) exhibet. Iungimus hiſce, TACITO auctore 11), tropaeum aliquot ſaeculis recentius, debellatis inter Rhenum et Albim nationibus, ab exercitu Tiberii Caeſaris Marti, Ioui, et Auguſto ſacratum. En religionis ſpeciem intemperantis animi motibus pulchre adcommodatam.

1) in Romul. pag. 27. Tom. I. Op.
2) Lib. I. Cap. X.
3) De Verb. Signif. uoc. *Opima Spolia.*
4) Aen. Lib. VII. u. 183. ſeqq.
5) de Bell. Pun. Lib. V. u. 621.
6) cit. loc.
7) cit. loc.
8) Antiq. Rom. Lib. II. pag. 102. edit. Lipſ. CIↃ IↃC LXXXXI.
9) in Paral. pag. 306. Tom. II. Op.
10) Lib. XV. u. 491.

Pyrenes tumulo clypeum cum carmine figunt:
Haſdrubalis ſpolium Gradiuo Scipio uictor.

11) Annal. Lib. II. Cap. XXII.

§. VII.

§. VII.

TROPAEA OB HOSTES FVGATOS POSITA.

Tropaea ob hoſtes in fugam actos figi conſueuiſſe, idoneis auctoribus muniti ſupra poſuimus. Euidentiſſimum eſt, ad quod iam prouocauimus, ISIDORI 1) ſuffragium, qui tropaeum adeo proprium fugati hoſtis eſſe monimentum perhibet, ut eo nomine a triumpho diſcernat, quem hoſte potius occiſo plenae uictoriae deberi contendit. At uix audemus penitus in ISIDORI tranſire ſententiam, cum amplius deliberandum ſit, an non temere iſtas tropaei et triumphi diſcernendi cauſſas effinxerit, ab aliis ſcriptorum non obſeruatas. Metuiſſe ipſe ſibi ab his obiectionibus uidetur ISIDORVS, cum ſtatim addat, ſcriptores ea nomina confundere. Ecquis non facile confuderit nomina, uagis notionibus deſcripta? Quis mente facile ſibi finxerit uictoriam, quae non hoſtes fugatos aeque ac occiſos oſtendat? Triumphis leges ſuae apud Romanos dictae fuerant, quas intactas iam relinquimus, quippe ab inſtituto noſtro alienas. Quem armorum euentum tropaeis notare licuerit, proprie ſatis definitum non reperimus. Adhibuerunt ea omnibus paene rerum ſecundarum ſucceſſibus celebrandis pleraeque Graecorum nationes. Acarnanum, Athenienſium, Boeotorum, Corcyraeorum, Corinthiorum, Mantineorum, Peloponneſiorum, Sicyoniorum, Stratiorum, Syracuſanorum et Tegeatarum tropaea quam frequentiſſima memorat grauiſſimus Graecorum ſcriptor, THVCYDIDES. Ipſa loca indicare, ſuperuacui et inuidioſi laboris opus, praetermittimus, ne ſcilicet operoſa uiri diligentia, qui locupletiſſimo indice illas hiſtorias inſtruxit, diffuſae lectionis laudem nobis quaeſiuiſſe rideamur. Vix reperies apud eum ſcriptorem uel leuioris cuiusdam pugnae deſcriptionem, quae non in formulam deſinat, τροπαῖον ἔστησαν. Parcius illis uſi ſunt Romani, quo tamen ea caſu proprie admitti uoluerint, tuto ſatis euinci non poteſt. Multum hac in re ualuiſſe uidetur uictoris arbitrium, ſuaene uirtuti et fortunae ſtatuere monimentum, an ſuperbiae temperare mallet. Aliquando utrumque bellatorem populum, ſi aut aequo Marte, aut ſine notabili alterius clade diſceſſum fuerit,

tropaea fixiſſe legimus, uti de Corinthiis et Corcyraeis adnotauit THVCYDIDES 2). Tropaei, a deuicta gente poſiti, exemplum, PLVTARCHO auctore, paullo ante retulimus 3). Vnicum addimus, tropaea non ob hoſtes, terreſtri conflictu ſuperatos, fuiſſe ſolum conſtituta, ſed etiam ob uictoriam mari quaeſitam. Ita naualia tropaea ſunt fere omnia, quotquot memorat THVCYDIDES. Nec id tropaeorum genus Romani ignorauerunt, quod maxime in numis eorum frequentatum conſpicimus, expreſſa ſemper maritimi cuiusdam adparatus nota, unde ad naualem pugnam pertinere cognoſcantur. Vſurpat praecipue in nauali tropaeo clypei locum prora, aut pars nauis alia. Exempli gratia adlegamus Pompeii Magni denarium, ab ANDREA MORELLIO 4) delineatum. Aliud elegantiſſimum tropaeum nauale, ab uſitata tropaeorum figura longe diuerſum, in quodam Seruuii Sulpicii numo ſiſtit laudatus MORELLIVS 5). Interdum iunctum tropaeo terreſtri nauale in eodem numo conſpicimus, cuius rei teſtem nominamus alium eiusdem Pompeii numum 6). De aliis tropaeorum uſibus adferri poſſent uaria, ueluti ea inter triumphalia ornamenta triumphatori, et inter funebres pompas uictoris funeri praeferri conſueuiſſe, quae tamen cum a natiuo illorum uſu aliquantiſper ſint remota, relictis iſtis, propiora potius explicabimus.

1) Orig. Lib. XVIII. Cap. II. *Tropaeum dictum eſt ἀπὸ τῆς τροπῆς, id eſt, conuerſione hoſtis et fuga. Nam ab eo, quod hoſtem quis fugaſſet, merebatur tropaeum, quod occidiſſet, triumphum, qui dictus eſt ἀπὸ τῆς τριάμβης, id eſt, ab exultatione. Plenae enim uictoriae triumphus debetur, ſemiplenae tropaeum, quia nondum plenam eſt conſequutus uictoriam. Non enim obtinuit, ſed fugauit exercitum. Haec tamen nomina ſcriptores confundunt.*

2) de Bell. Peloponneſ. Lib. I. Sect. LIV. pag. 38. ex edit. C. A. DVKERI, Amſtel. CIↃ IↃCC XXXI.

3) §. praeced. not. 9.

4) Theſ. Morellian. Gent. Pompei. Tab. II. Num. IV. pag. 338. Numi ea eſt facies: Caput Neptuni barbatum et diademate

cinctum

cinctum, poſt illud tridens cernitur, leguntur uerba, MAG. PIVS. IMP. ITER. In altera parte tropaeum conſpicitur maritimum, ſupra galeam tridens eminet, inferior pars anchorae innititur, clypei loco ad utrumque latus prora eſt, et acroſtolium, ipſum tropaeum in duo canina capita deſinit. Adſcripta ſunt uerba: PRAEF. CLAS. ET. ORAE. MARIT. EX. S. C.

5) ibid. Gent. Sulpic. Tab. I. Num. VI. pag. 405.

6) cit. loc. Gent. Pompei. Tab. II. Num. IV. Lit. D. p. 338.

§. VIII.

TROPAEORVM FINIS, VICTORIAE MEMORIA.

Tropaeorum finem uictoriae memoriam ponimus. Nec infringit ſententiam mos iſte, ſub initio paene commentationis noſtrae memoratus, ueterum Graecorum, tropaea e lignis ſtatuentium, ne duratione nimis diuturna grauius offendant. Ita enim uictoriae memoriam quoque optatam eſſe, nemo non perſpicit, licet non perpetuis monimentis exprobratam. Clariora iſtius finis ueſtigia ſequior aetas explicat, qua uictores ad tropaeum exornandum omnia ea contuliſſe obſeruamus, quibus et perpetuitatem, et memoriam celebriorem poſſent efficere. Eo referimus non materiam ſolum magis durabilem, tropaeis erigendis adhibitam, ueluti ſaxa, aera, et maioris pretii metalla. Sed cum primis etiam, quarum exempla paſſim iam adlegauimus, inſcriptionum formulas, uix factae Deorum alicui conſecrationis magis teſtes, quam fortunae et uirtutis militaris praecones, quali mori luſus ſuos adtemperauit OVIDIVS 1). Ita L. Cornelii Sullae tropaea Chaeronenſia et Mithridatica uictoris nomine tantum fuiſſe inſignita, PLVTARCHVS 2), et tropaeum, Pompeio praelatum, quum de compluribus Aſiae populis, et Mithridate atque Trigrane Regibus, triumphum ageret, de orbe terrarum habuiſſe inſcriptionem, DIO CASSIVS 3) adnotauit. Produnt iſtum morem, tropaeis inſcribendi uictoriae titulos, numi ueteres, in quorum nonnullis Victoria tropaeo compoſito, adpenſoque clypeo inſcribere exhibetur, quale quid obſeruamus in Egnatuleiae gentis denario 4). Aliud indicium, quando

do cum ſtudio uictoriae memoriam fixis tropaeis quaeſiuerint, locus ipſe perhibet, quem ſtatuendis iis plerumque delegerunt. Poſita ſunt, quotiescunque fortuna fieri permiſit, in hoſtico, prope ipſum uictoriae reportatae locum, et quo magis ea ſint conſpicua, in tumulo quodam, aut alia eminentioris telluris parte adornari conſueuerunt. Obſeruatum illud eſt in plurimis Graecorum tropaeis, quae THVCYDIDES commemorat. Inter Romanos Domitium Ahenobarbum et Fabium Maximum ſaxeis turribus erexiſſe ſua tropaea, FLORVS 5) teſtatur. Pompeium, domitis Hiſpanis, tropaea Pyrenaeis montibus excitaſſe, SALLVSTII auctoritate, SERVIVS 6) refert, et plus ſimplici uice PLINIVS 7). Delectum iſtum, qua ſede tropaeum locarent, tanta cum cura habebant, ut, SERVIO teſte 8), non niſi eminentioribus locis, et eodem ex more, arcubus exaedificatis figerentur in urbibus. Certiſſimo ea fore omnia argumento arbitramur, quam anxie Romani pariter atque Graeci adornatis tropaeis frequentare uictoriae memoriam, et ad poſteritatem transmittere contenderint.

1) De Art. Am. Lib. II. u. 743.
2) de Fort. Rom. p. 318. Tom. II. Oper.
3) Hiſt. Rom. Lib. XXXVII. p. 39. C. ex edit. IO. LEVNCLAVII, Hanou. CIↃ IↃCVI.
4) Theſ. Morell. Gent. Egnat. Num. I. pag. 162.
5) Hiſt. Rom. Lib. III. Cap. II. §. 6. p. 491.
6) ad VIRGIL. Aen. Lib. XI. u. 6.
7) Hiſt. Nat. Lib. I. Cap. III. Lib. VII. Cap. XXVI. Lib. XXXVII. Cap. II.
8) cit. loc.

§. IX.

TROPAEA INIMICITIARVM MONIMENTA.

At iam penitius nonnihil tropaeorum conditione atque ritibus excuſſis, nouis quaſi fulcris ea nos ſuperſtruxiſſe opinamur, quae de tropaeis, impotentis animi et difficilis moderationis indicibus, commentationi noſtrae praefati fuimus. Non inficiamur, expedire rei publicae, immo in ſtatu

popu-

populari, quali uetus Roma, quali pleraeque Graecorum ciuitates olim uiguerunt, neceſſitate quadam requiri, ut ciuium uirtuti publica decernantur honorum monimenta. Accidere poſſe ultro largimur, ut Miltiadis tropaeum Themiſtocli ſomnos excutiat 1), et ita laudis alienae ſimulacrum plurimos erectioris indolis animos ad pulcherrimam uirtutis imitationem accendat. Auſpicato euenire poteſt, ut Fabius Gurges tropaeo uiſo omen arripiat, et conditoris cladem ulciſcatur 2). Verum uix ea inde proficiſcuntur commoda, quae odiis gentilibus et ſempiternis contentionibus comparari conducat. Habet ſane tropaeum prae omnibus ornamentis, quae militari uirtuti decernenda duxit antiquitas, ſortem illam ualde iniurioſam, ut in hoſtico poſitum, perpetua quaſi exprobratione inuiſas imagines deuicto hoſti ob oculos ponat, et infamia cladis dolorem augeat. Nihil ad acuendos debellatarum gentium animos opus eſt excogitandis ludibrii ſignis, qualia Seſoſtrem, Aegyptiorum Regem, cippis ſuis, in uictoriarum memoriam conditis, genitale nimirum uiri membrum, ſi uiros ſeſe praeſtiterint deuicti populi, muliebre, ſi cum imbellibus decertatum fuerit, praeter facinorum titulos indidiſſe, HERODOTVS 3) et DIODORVS SICVLVS 4) meminerunt. Generoſum populum uehementer irritent neceſſe eſt armorum ſuorum ſpolia, hoſtili manu in uictoriae oſtentationem diſpoſita. Ita de tropaeis ſtatuit ueterum Germanorum magnanimitas, quos haud perinde uulnera, luctus, excidia, ac eam ſpeciem, quum poſt praelium in Idiſtauiſo campo Germanici Caeſaris auſpiciis Romanus miles aggerem ſtruxit, et in modum tropaeorum arma, ſubſcriptis uictarum gentium nominibus impoſuit, ira et dolore adfeciſſe, TACITVS 5) adnotauit. En, quantos animos excitet tropaeorum indignatio. Qui modo abire ſedibus, trans Albim concedere parabant, pugnam volunt, arma capiunt, plebes, primores, iuuentus, ſenes, agmen Romanum repente incurſant, turbant. Adeo uerum eſt, et frequentiori effectu comprobatum, tropaea, uti CICERO 6) uocat, aeterna eſſe inimicitiarum monimenta. Suadere igitur uidetur ipſa ratio, ut gen-

tes tropaea, in mutuam antea ignominiam erecta, reſtituta pace aboleant, quale tamen humanitatis et prudentiae ſpecimen nuspiam, praeter quam a Phraate, Parthorum Rege, Auguſto Caeſari exhibitum, apud STRABONEM 7) occurrere meminimus. Quanto autem ſapientius illos egiſſe iudicemus uictores, qui a tropaeis ſibi erigendis prorſus abſtinuerunt.

1) PLVTARCHVS in Theſ. pag. 3. Tom. I. Oper.
2) IDEM in Paralell. pag. 307. Tom. II.
3) Hiſt. Lib. I. Cap. CII. et CVI. p. 126. et 127. ex edit. IACOBI GRONOVII, Lugd. Bat. CIↃ IↃCC XV.
4) Biblioth. Hiſt. Lib. I. pag. 51.
5) Annal. Lib. II. Cap. XVIII.
6) de Inuent. Lib. II. Cap. XXIII.
7) Geograph. Lib. XVI. pag. 1085. edit. Amſtel. CIↃIↃCCVII.

§. X.

TROPAEA OB VICTORIAM ALLOBROGICAM POSITA, FLORO AVCTORE, ROMANORVM OMNIVM PRIMA.

Tam eximiae moderationis laudem, per ſex integra ſaecula ſeruatam, Romanis ſuis adſerere nullus dubitauit FLORVS 1), quando, uti ante iam retulimus, factae tropaeorum, in ſaxeis turribus a Fabio Maximo et Domitio Ahenobarbo exornatorum, mentioni ſubnotauit, morem hunc inuſitatum fuiſſe Romanis, nec enim eos hoſtibus domitis uictoriam ſuam exprobrauiſſe. Iure quodam ſuo pleniorem nonnihil operam, illuſtrationi eius impendendam, exigere nobis uidetur iſtud FLORI teſtimonium, quod commentationis huius emittendae primam nobis ſuppeditauit occaſionem. Ad Allobrogicum bellum ea pertinent, quod A. V. C. IↃCXXXIII, ductis Fabii et Ahenobarbi triumphis, fuiſſe confectum, ex triumphalibus faſtis oſtendimus, quibus iungi merentur S. V. PIGHII 2), ſolertiſſimi Romanorum annalium conditoris, obſeruationes. Fregit primum Allobrogum uires Domitius Proconſul felici ad Vindalium oppidum praelio, uti refert LIVII EPITOMATOR 3). Grauiori clade paullo poſt adfecit Allobrogum Aruernorumque gentes Q. Fabius ad Iſarae et Rhodani confluentem. Decretoriae huius pugnae annum

Digitized by Google

num et diem, PLINIO 4) praeeunte, nouimus, qui ad VI Idus Auguſtas eam a Fabio Conſule commiſſam memorat. At Fabium, una cum L. Opimio, A. V. C. IↃ CXXXII faſces tenuiſſe, faſti perhibent. Tropaea et a Domitio, et a Fabio, in locis, in quibus dimicauerant, erecta, FLORVS habet, unde coniicimus, utramque uictoriam, et priorem Domitii ad Vindalium oppidum, et alteram pinguiorem Fabii Conſulis ad Iſaram atque Rhodanum, tropaeis fuiſſe celebratam. Meruit ſane tropaeum poſterior haec incredibilis plane ſucceſſus uictoria, quam CXX M hoſtium occiſis, alii amplius adhuc intendunt numerum, XV militibus ſaltem amiſſis, Fabius populo Romano peperit, ſi uera narrat APPIANVS 5). Maiorem hoſtium ſtragem eodem praelio editam fuiſſe, STRABO 6) auctor eſt, qui et ſuum ei locum penitius adſignat, ad confluentem ſcilicet Iſarae atque Rhodani prope Cemmenum montem, et tropaeum ibi ex albo ſaxo conditum, duoque templa exſtructa, Marti unum, alterum Herculi, pleniori ſtilo enarrat. Exſtare etiam nunc talis turris, quali tropaea Fabium fixiſſe, FLORVS tradidit, in principatu Arauſionenſi partem, in qua belli huius hiſtoria et facies eſt expreſſa, militumque Allobrogicorum ſcutis Bituiti, Ducis eorum, nomen eſſe inſcriptum, et magni uiri, NICOLAI CLAVDII FABRICII PEIRESCII, uero iudicio fuiſſe arcum triumphalem Fabii, non Marii, ut uulgo credebatur, edixit IOANNES GEORGIVS GRAEVIVS 7). Pertinent ea procul dubio ad arcum Arauſionenſem, quem depictum ſiſtit, ſuisque commentariis illuſtrat BERNARDVS MONTEFALCONIVS 8), ualde dubius, an uictoriae Cimbricae atque Teutonicae, a Mario reportatae, monimentis iure accenſeatur. At PEIRESCII hac de re iudicium, quibusue id firmauerit rationibus, reperire nobis non obtigit. Summo ſtudio ſepulchrum lateritium, in iſtis finibus prope Rhodanum et Iſaram fluuios aetate ſua detectum, et eruta inde gigantea oſſa, ex uulgi iudicio ad Teutobochum, Cimbrorum Regem, a Mario deuictum, relata, PEIRESCIVM inquiſiuiſſe, et elephanti oſſa eadem certis agnouiſſe indiciis, enarrat PETRVS GASSENDVS 9). Supereſt ipſa laudati

PEI-

Digitized by Google

PEIRESCII de arcu Arauſionenſi obſeruatio, quam ex ſchedis ipſius, in regia bibliotheca Pariſienſi deliteſcentibus, luci reſtitutam dedit MONTEFALCONIVS 10). At in iſta quoque nihil diſputat de arcus illius conditore, praeter quam quod, aliquot annis ante in lapidibus, ex arcu delapſis, repertam eſſe uiri captiui figuram, et expreſſum ſimul Teutobochi nomen, PISEI cuiusdam, in Arauſionenſi Curia Tabularii, fide referat. Parum ceteroquin commento huic crediciſſe PEIRESCIVM, inde colligimus, quod in ſchedis iſtud creta notatum, et ipſius manu quaſi deletum eſſe, MONTEFALCONIVS 11), αὐτόπτης arbiter, notauerit. Neque tamen ideo GRAEVII fidem uellicamus, quam ueritate ſua non deſtitutam eſſe, norint fortaſſe ſcrutatores magis adtenti, qui curioſius GASSENDI de PEIRESCII uita commentarios perluſtrauerint, quam per temporis rationes nobis licuit.

1) Lib. III. Cap. II. §. 6. Viſum eſt ipſa Flori uerba, de quorum argumento plenius diſputandum eſt, integra ſubiicere. Sunt autem illa ſequentia: *Vtriusque uictoriae, quod quantumque gaudium fuerit, uel hinc exiſtimari poteſt, quod et Domitius Ahenobarbus et Fabius Maximus ipſis, quibus dimicauerant, in locis, ſaxeas erexere turres, et deſuper exornata armis hoſtilibus tropaea fixere, quum hic mos inuſitatus fuerit noſtris. Numquam enim populus Romanus hoſtibus domitis uictoriam ſuam exprobrauit.*

2) Annal. Rom. Tom. III. Lib. XIII. ad A. V. C. IϽC XXXII. pag. 68. 72. ad A. V. C. IϽCXXXIII. pag. 78. 79.

3) Lib. LXI. Conf. STRABO Geogr. Lib. IV. pag. 283.

4) Hiſt. Nat. Lib. VII. Cap. L.

5) in Hiſt. Rom. de Bell. Gall. p. 1191. Tom. II. Oper. ex recenſ. ALEXANDRI TOLLII, Amſtel. CIϽ IϽC LXX.

6) Geograph. Lib. IV. pag. 283. Καθ' ὃ συμπίπτουσιν ὅ Ἴσαρ ποταμὸς καὶ ὁ Ῥοδανὸς, καὶ τὸ Κεμμένον ὄρος, Κοΐντος Φάβιος Μάξιμος Ἀιμιλιανὸς, οὐχ ὅλαις τρισὶ μυριάσιν, εἴκοσι μυριάδας Κελτῶν κατέκοψεν, καὶ ἔστησε τρόπαιον αὐτόθι λευκοῦ λίθου, καὶ νεὼς δύο, τοῦ μὲν Ἄρεως, τοῦ δὲ Ἡρακλέους.

7) in not. ad FLOR. cit. loc.

8) dans

8) dans l'antiquité expliquée, Tom. IV. Part. I. Lib. VI. Cap. VIII. §. 1. pag. 169. Tab. CVIII.

9) de Vit. PEIRESC. Lib. III. ad an. CIↃIↃCXIII. pag. 88. ſeqq. et ad an. CIↃIↃCXXXI. pag. 156. edit. Hag. Comit. CIↃIↃCLV.

10) dans le ſupplement à l'antiquité expliquée, Tom. IV. Lib. IV. Cap. III. §. V. pag. 74.

11) cit. loc. §. II. pag. 75.

§. XI.

INQVIRITVR IN TROPAEA ROMANORVM, BELLO ALLOBROGICO ANTIQVIORA.

Verum quidquid denique ſit reliquiarum, ad monimenta uictoriae illius Allobrogicae pertinentium, minus nos iam tangunt, quam ſuffragii, a FLORO perlati, certitudo, prima fuiſſe illa omnium, quae Romani umquam erexerint. Cum enim tropaeorum, his longe uetuſtiorum, apud quosdam ſcriptores fiat mentio, mirifice illa uexat et turbat Florianae hiſtoriae interpretes. FLORVM igitur ſuum, de primo tropaeorum apud Romanos uſu exponentem, a teſtimonii uitioſi obiectionibus uindicaturi, eo confugiunt uulgo interpretes, ut tropaea iſta Fabii et Domitii prima eſſe perhibeant, quae a Romanis in hoſtico fuerint excitata, reliquis, quae uetuſtioris aeui memorantur, Romae poſitis. Ita cenſet CHRISTOPHORVS ADAMVS RVPERTVS 1), cui calculos ſuos addit, qui ex numeroſa commentatorum turba iure ſuo praeſertim eſt adlegandus, CAROLVS ANDREAS DVKERVS 2). Patrocinari cum primis ſententiae ſuae, DVKERVS exiſtimat, ſcriptorum Latinorum de tropaeis, in hoſtico poſitis, ſilentium. Et profecto, ſi res ingenue fatenda eſt, non occurrit tropaeum antiquius, quod in hoſtico erectum diſertis uerbis iſti memorent. At neque FLORVS ita luculenter exprimit, tropaeorum, quam facit, a Romanis primum poſitorum, mentionem ita eſſe capiendam, ut ad tropaea tantum in hoſtico poſita referatur. Coniectura illud eliciunt interpretes, ergo aliis quoque fas eſt diſpicere, an non coniectura iſti contraria et aeque commoda aliunde ſubnaſcatur. Raro ad modum, quod negare nemo auſit, a Romanis ſcri-

Digitized by Google

ptoribus memorantur tropaea, ut uel hoc argumento uſum eorum Romanis longe minus frequentem, quam Graeciae populis, tuto ſatis liceat colligere. At in numis Romanorum tropaea et antiquiora et frequentiora conſpiciuntur. Nihil iam ea ediſſeremus, quae humeris uictoris portata ibi occurrunt, cum nec deſint, quae propius huc pertinent, erectorum imagines. Siſtitur eius modi tropaeum, cui Victoria coronam imponit, in quinario, quem ad M. Fuluium Flaccum, Magiſtrum equitum A. V. C. IↃVII, refert HVBERTVS GOLTZIVS 3). Porro C. Lutatii Catuli, Conſulis A. V. C. IↃXI, quem ſequente anno de Poenis ex Sicilia naualem triumphum egiſſe faſti perhibent, denarium, in quo Victoria tropaei clypeo inſcribit, GOLTZIVS 4) exhibet. Si qui fortaſſis numorum, quos ſolus GOLTZIVS produxit, fidem ſollicitent, dabimus binos alios, certiori auctoritate munitos, neque Goltzianis iſtis recentiores, tropaeorum pariter teſtes. Delegimus priori loco memorandum, T. Cloulii Quaeſtoris quinarium, cuius altera facies Iouis Feretrii caput, altera tropaeum, Victoriae dextra coronatum, et inferiori eius parti adſidentem captiuum, manibus in tergum reuinctis, repraeſentat. Auctorem huius numi T. Cloulium, Quaeſtorem A. V. C. IↃVI, demonſtrant PIGHIVS 5), IOANNES VAILLANTIVS 6), SIGEBERTVS HAVERCAMPVS 7). Aliquot annorum aetate hunc ſuperat gentis Corneliae ſextantarius, ab ANDREA MORELLIO 8) exhibitus, quem auctore Cn. Cornelio Cn. F. Blaſione, qui anno CCCCLXXXXVI, una cum L. Attilio Regulo, Conſul fuit, in memoriam triumphi, a patre Cn. Cornelio L. F. Blaſione, de Saſſinatibus, Vmbriae populo, anno CCCCLXXXIII acti, cuſum fuiſſe uulgo arbitrantur. At uix opus eſt ex numis adferre tropaeorum apud Romanos exempla, bello Allobrogico antiquiora, cum ſuppetant ex ipſis Romanae hiſtoriae ſcriptoribus. Romuli conditoris tropaeum, Acronis ſpoliis exornatum, ſuperiori loco, probatiſſimi cuiuspis auctoris fide, deſcripſimus. Deinde tropaeum Romanum, quod integri ſaeculi

culi interuallo antecedit illa Fabii et Domitii tropaea, ipſe FLORVS tangit, ubi C. Flaminium ex torquibus Gallorum aureum tropaeum Ioui erexiſſe perhibet. Seruat huius rei memoriam numus Flaminiae gentis argenteus, a GOLTZIO exhibitus 9). Referenda eſt huius numi et erecti tropaei aetas procul dubio ad A. V. C. DXXX, quem faſti triumpho C. Flaminii, ex uictoria Gallorum acto, ſignant. En igitur tropaeorum apud Romanos uſum, ipſo FLORO auctore, longe Allobrogico bello uetuſtiorem. At urgebunt interpretes, id ſaltem ſuffragio ſuo, cuius ueritatem in dubium uocamus, egiſſe FLORVM, ut referat, primum poſt Allobrogum cladem tropaeum eſſe a Romanis in hoſtico poſitum. Dubitabunt fortaſſis an tropaea, quae numis expreſſa produximus, umquam excitata fuerint, neque potius, in uictoriae celebrandae ſignum, aeri ſaltem mandata. Praeſidia denique FLORO ſuo ſuisque exceptionibus conquirent ex ſcriptionis genere, quo uſi ſunt, qui tropaeorum antiquiorum mentionem iniecerunt, nec inde ullum in hoſtico poſitum elici poſſe opinabantur. Nobis ſane, reliqua ultro praeterituris, oſtendere ſufficiat, quam male ſe habeat defenſionis, FLORO paratae, argumentum, extremo a nobis loco adlatum, cuius tamen robori plurimum confidunt. Reuocamus eo fine in mentem, quod in alius rei probationem, iterum PLVTARCHO 10) auctore, adlegauimus, tropaeum Sp. Poſthumii Albini, Conſulis, poſt acceptam ad Caudium a Samnitibus cladem ſtatim in hoſtico poſitum. Non uiolentam arbitramur eſſe conſequutionem, quam inde repetimus, ſcilicet uix poſſe, quin Romani morem, poſt uictorias ſtatim in conflictus loco tropaea ponendi, prius iam uſurpauerint, cum tale quid Poſthumius ille deuictus, in fortunae melioris reducis omen, conatus fuerit. Notabimus tropaei huius exſtructi annum, Caudina clade, aut ignominioſa potius ſponſione infamem, ab V. C. CCCCXXXII, quo Tit. Veturium, et Sp. iſtum Poſthumium Albinum Conſules faſti referunt. Tantaenae igitur, hiſce aliquanto curatius expenſis, ducatur religio-

ligioni, liberius edicere, quae pridem leuioribus argumentis commotus, BENEDICTVS AVERANIVS 11) pronunciauit, falſa nimirum eſſe quae de uictoriae Allobrogicae tropaeis, inter Romana primis, FLORVS uenditauit?

1) in Obſeru. ad FLOR. Hiſt. Rom. Lib. III. Cap. II. §. 6.
2) in not. ad FLOR. cit. loc.
3) in Faſt. Magiſtr. et Triumph. Rom. ad A. V. C. DVII. p. 94.
4) ibid. ad A. V. C. DXI. pag. 95.
5) Annal. Rom. Tom. II. Lib. VII. ad A. V. C. DVI. pag. 55.
6) in Num. Famil. Rom. Gent. Cloul. p. 286.
7) Theſ. Morell. Tom. II. Gent. Cloul. Num. I. et II. pag. 99.
8) Theſ. Morell. gent. Cornel. Tab. I. Num. II. Conf. Tom. II. pag. 113.
9) cit. loc. ad A. V. C. DXXX. pag. 103.
10) in Paralell. p. 306. Tom. II. Oper.
11) in Hiſt. T. LIV. Diſſert. XXIV.

§. XII.

DISSERTATIONIS CONCLVSIO.

Nos iam metam circumſpicimus, et lectori aequo et rerum harum intelligenti relinquimus diiudicandum, utrum praecipiti nimis feſtinatione, an tempeſtiue ſatis inſtitutum deſeramus. Si futurum fuiſſe arguerit quispiam, ut plura ſuppetierint ueterum ſcriptorum loca, ad tropaeorum ritus pertinentia, quam heic adlata reperiantur, nos quidem non refragabimur, quippe quibus ſatius uiſum eſt, ſententiam quamuis uno alteroue idonei auctoris ſuffragio munire, quam magnam indigeſtamque illorum compilare farraginem. Ceterum eo neminem offendi arbitramur, quod aliorum, qui propiori aeuo tropaea ſcriptionibus ſuis tetigerunt, ſententias, nobis forte, ſibiue inuicem aduerſas, haud conquiſiuerimus, aut petulanti ſtilo eas confutaturi, aut noſtrum pronunciaturi arbitrium, cuius cauſſa ſit potior. Quis enim, qui ſanum ſinciput habet, cenſores uitio creatos non aegro ferat animo? Nihil denique adſuendum duximus de recentioribus Romanorum tropaeis, qui de antiquiſſimis commentationem promiſimus.

✲ ✲ ✲

Digitized by Google